



**I**Oannes natus est in Ostrofrancia ex nobili familia Egloffsteinorum anno 1485. Hic cum ingenio ualeret, hinc inde post rudimenta percepta in uarijs Academijs Philosophiæ operam dedit, atq; artium Magister, & Decretorum Baccalaureus ob eruditionem creatus fuit. Postea Spainshartum monasterium, instituti Præmonstratensis siue Norberthini, ingressus, eum ordinem suscepit, & sua doctrina alios ad studia excitauit. Est monasterium illud fundatum in honorem beatæ Mariæ anno 1145, ab Adelfolco de Reiffenberg, & eius coniuge Richinza, in superiori Palatinatu inter Kemmatum ac Pressatum oppida, diocœseos Ratisbonensis, Grim

mone primo ibi præposito existente. Cum autem postea Georgius 29 præpositus anno 1495 generali eius ordinis capitulo, ad S. Quintium in Normandia celebrato, interfuisset, ipse ex præposito primus eius loci Abbas à Bessarione Græco cardinale & legato pontificis constitutus est. Itaq; Ioannes uiuens tandem 15 calend. Iunij, anno millesimo quingentesimo uigesimo secundo quartus abbas eligitur. Inter alias uirtutes potissimum in eo commendatur, quod fuerit pacis conseruandæ, & discordiarum inter principes uiros componendarum, pio ac uerè Christiano studio, mortalium nemini secundus. Hoc modo cum per septendecim annos magna laude præfuisset, tandem anno millesimo quingentesimo tricesimonono, ætatis suæ quinquagesimo quarto obiit, & cum tali Epitaphio sepultus fuit.